

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Adulacio bd
cum fonte primo

Monstrabo tibi cuius rei inopia
laborant magna fastigia, quid omnia
possidentibus desit, unum scilicet qui
uerum dicat,

dum nemo ex animi sui
sentencia dicit et suadet, sed
adulandi certamen est unum
amicorum omnium officium.

Seneca in epistola.

Nec te in multa distringam;
omnia sane excluderit opulenta felicitas,
monstrabo tibi, cuius rei inopia
laborent magna fastigia, quid omnia
possidentibus desit: scilicet ille, qui
uerum dicat
et hominem inter mentientes stupentem
ipsaque consuetudine pro rectis blanda
audiendi ad ignorantiam ueri perductum
uindicet a consensu concentuque
falsorum. Non uides, quemadmodum
illos in praeceps agat extincta libertas
et fides in obsequium seruile sumissa?
Dum nemo ex animi sui
sententia suadet dissuadetque, sed
adulandi certamen est et unum
amicorum omnium officium,
una contentio, quis blandissime fallat,
ignorauere uires suas, et, [dum] dum se
tam magnos, quam audiunt, credunt,
adtraxere superuacula et in discrimen
rerum omnium peruentura bella,
utilem et necessariam,
rupere concordiam, secuti iram,
quam nemo reuocabat,
multorum sanguinem hauserunt fusuri
nouissime suum.

Lucius Annaeus Seneca, *De beneficiis*,
6.30.3-5 (F. Préchac ed., vol.2, p.61).